



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Licet ne Christianis uti contractibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

21. **Q**ui obturat aures ad clamorem pauperis, uicissim clamabit & ipse, & non exaudietur. **I**tem **E**saie 58. **F**range esurienti panem tuum, etc. tunc inuocabis, & **D**ominus exaudiet.

Licet ne Christianis uti contractibus?

Licet, iuxta usitatam regulam, **E**uangelium non abolet ordinationes politicas, aut œconomicas, & quidem iura nature non abolet. **S**unt autem contractus iuris nature, quia uita humana habet opus mutua communicatione, quæ fit per contractus. **Q**uare sciat **C**hristianus contractus esse ordinationem **D**eï, sicut alias politicas ordinationes, quemadmodum & **S**alomon dixit, **L**ibra & pondus, iudicia **D**omini sunt, id est, res à **D**eo iuste ordinatæ. **S**ed in primis consideret **C**hristianus finem illarum ordinationum principalem. **D**eus enim hæc dona ordinauit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exercceamus.

Quare **C**hristianus in fide utetur contractibus, tanquã dono **D**eï, et sciet his officijs exercendam esse charitatem erga proximum. **Q**uare nõ defraudabit proximum per prætextum contractuum, nec struet per contractus insidias proxi-

C A mo.

mo. Quatenus autem utendum sit contractibus, & quatenus lucra concessa sint in contractibus, leges politicae consulenda sunt, quia Christianus potest uti legibus civilibus, & uidendum est in quibus contractibus leges concedant lucra & approbent, in quibus non approbent, ut in uenditione et locatione rerum, uel operarum mediocria lucra conceduntur. Aut enim officia, aut res seu operae communicantur. Ut autem possit esse perpetua communicatio, necesse est effici aequalem compensationem. Si enim una pars tantum daret, altera tantum acciperet, non esset perpetua communicatio. Ideo leges non uolunt officia rebus compensari, sed officijs, quia res alterius partis exhaurirentur, & iure naturali quaedam officia homines debent hominibus, uidelicet quae nobis non nocent & alijs necessaria sunt. Sunt igitur gratuiti contractus mutuatio & depositum. Rursum ubi res uel operae communicantur, necesse est rebus uel operis fieri compensationem. Ideo in emptione & locatione lucra conceduntur. Ita lex naturae docet aequalitatem in contractibus. Nam haec sententia est lex naturae, ne quis locupletari uelit cum detrimento alterius. Hic queritur de rebus, item de contractu cum pacto redemptionis. Item de eo quod interest, item de usuris.

De re=